



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Mulierum alienigenarum conuersatio, quantum noceat?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

III.

3 Reg. 11. 1.

Exod. 34. 16.

1. Tim. 2. 16.

Vincent Lyrin. in com-
monitorio.S Cyprian
ep 59 ad Cor-
netium.

1. Io. 1. 10.

Io. 4. 8.

Numquam tuta est habitatio columbæ cum accipitre; agni cum lupo; cerui cum leone. Hebræi siue suas filias Amorrhæorum in matrimonia darent, siue acciperent, in mores & cultum Amorrhæorum transierunt, cum potius (si vel maximè lege illà diuinà insuper habitâ vel suas, vel alienigenarum filias enubere permisissent) contrarium facere debuissent. Sed semper facilius est in deterius mutatio. De ipso Salomone quid dicat Scriptura, audi, Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, & filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumaas, & Sidas, & Hethæas: de gentibus super quibus dixit Dominus filijs Israel: Non ingrediemini ad eas, neq; de illis ingredientur ad vestras: certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini deos earum, &c. Et auertentur mulieres cor eius. Cumq; iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur deos alienos. &c. Quod si hoc sapientissimo regi accidit, quid illis fiet, qui ne assem quidem aut vnciam habent de sapientia Salomonis? & tamen commercia, sermonem, & connubia miscent cum impijs? Profana, & vaniloquia deuota, ait Apostolus, multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit. Deuota, inquit Vincentius Lyrinensis, quasi viperam, quasi scorpionem, quasi basiliscum, ne te non solùm tactu, sed etiam visu affectuq; percutiant. Quocirca etiam S. Cyprianus scribit: Declinent fortiter, & euitent dilectissimi fratres nostri verba & colloquia eorum, quorum sermo vt cancer serpit. Et infrà. Nulla eum talibus commercia, nulla conuiuia, nulla colloquia misceantur, semiq; ab eis tam separati, quam sunt illi ab Ecclesia profugi. Quid igitur illis eueniet, qui his è diametro contraria agunt? qui nullo discrimine habito, cum alienigenis conuersantur, iocantur, conuiuantur, inebriantur? qui eis omnia secreta, officia omnia committunt? qui ab eis consilia petunt, & accipiunt, quos ne salutare quidem oporteret, iuxta illud Ioannis: Si quis hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixerit. Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis. Cum Seruator noster ad mulierem Samaritanam diceret: Da mihi bibere, respondit illa: Quomodo tu, Iudæus cum sis, bibere à me possis, quæ sum mulier Samaritana? non enim contuntur Iudæi Samaritanis. Periculosum est, agere cum peste laborantibus, & non infici. Qua
de

de causa S. Irenæus scribit: *Tantum Apostoli, & horum discipuli habuerunt timorem, ut neque verbo tenuis, communicarent alicui eorum, qui adulterauerant veritatem. Ioannes discipulus Domini in Epheso iens lauari, cum vidisset intus Cerinthum, exiit de balneo non lotus, dicens, quod timeat, ne balneum concidat, cum intus esset Cerinthus inimicus veritatis. Et ipse Polycarpus Marcioni aliquando occurrenti, & dicenti sibi, Cognosce nos, respondit, Ego cognosco te primogenitum Satanae. Itaque rectè dicitur illis, qui pacem optant, & bella horrent: Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fidei, cum infidei?* Itaque qui non volunt bellis affligi, vitent causam belli; aut qui non vitauerunt, clament ad Dominum, ut suscitet eis Saluatorem.

1. Cor. 6. 14.

Iudic. 3. 91

2. Quam diu vixit, apud Israelitas, Othoniel, tam diu viguit religio, eo autem è viuis sublato, addiderunt filij Israël facere malum in conspectu Domini: qui confortauit aduersum eos Eglon regem Moab: quia fecerunt malum in conspectu eius. Et copulauit ei filios Ammon, & Amalec: abijtq; & percussit Israël, atq; possedit urbem palmarum. Seruieruntq; filij Israël Eglon regi Moab decem & octo annis. Quare malum tunc fecerunt in conspectu Domini? Nimirum, rursus aliarum gentium consuetudine, velut æstu quodam abrupti, tam beneficijs, quàm mandatis Dei oblitteratis, à ritibus sanctis ad idololatriam transferunt. Quid inde ex hac coniunctione sunt consecuti? Nimirum vt malè cohærentes, ab ipsdem idololatrijs (Deo desertores castigante) bello peterentur, quibus se se imitatione morum sociauerunt. De S. Antonio eremita hæc tradit Athanasius: *Manichæis, aut alijs hæreticis, nunquam saltem amabilia verba largitus est, denuntians talium amicitiam atq; sermones perditionem esse animæ. Sic etiam Arianos detestabatur, vt omnibus diceret, ne iuxta quidem eos esse accedendum. Et ipse B. Antonius iam moriturus: Hæreticorum, inquit, & Schismaticorum venena vitæ, meumq; circa eos odium sectamini. Scitis ipsi, quod nullus mihi nec peccificus quidem sermo cum eis unquam fuerit. Valde igitur Deum irritant, magnamq; bellorum excitandorum illi causam præbent, qui talibus Ecclesiæ & Dei hostibus nimis sunt familiares, neque iam tantum ad eos accedunt, apud eos officina discunt, seruiunt,*

IV.

Iudic. 3. 11.

S Athanasii
in vita S. An-
tonij.